


Y6
3735





[Programm der latein. Hauptschule in
Halle a. S. I. Sammelbd 1825-29.
AD

EXAMEN SOLLEMNE
SCHOLAE LATINAE
GYMNASII HALENSIS

IN ORPHANOTROPHEO
DIE XXXI. MARTII MDCCCXXV.

SUBBEUNDUM

AUDIENDASQUE ORATIONES ALIQUOT
PRIMI ORDINIS CIVIUM
BONARUM LITTERARUM
FAUTORES

REVERENTER INVITAT
IOANNES GOTTLIEB DIEK

PHILOS. D. PROFESSOR ET RECTOR
GYMNASII.

IN EST

- I. C. A. SCHIRLITZII COMMENTATIO DE LATINE
LOQUENDI USU E SCHOLIS HAUDQUAQUAM
TOLLENDO.
- II. ANNALIUM SCHOLAE LATINAE PARTICULA PRIMA.

HALIS SAXONUM.
TYPIS ORPHANOTROPHEI.
MDCCCXXV.

09 Pm 286

EXAMEN SOLLENNI
SACRORUM LITTERARUM
GYMNASII HALLENSIS
IN ORPHANOTROPHIO
DIE XXXI. MARTII MDCCCXXXI.
SUB PRÆSIDENTIO
ADREASII GÖTTSCHEWICHI
PRIMI ORDINIS CIVIS
ROMANUM LITTERARUM
FACTORIS



INSTITUTUM
I. C. A. SEMINARIUM COMMENTATIO DE LITTE
ROMANA ET DE ROMANO HABITU
M. DCCCXXXI. DIE XXXI. MARTII
IN ACADEMIA S. MICHAELIS LITTERARUM A. F. HALLÆ



I.
CAROLI AUGUSTI SCHIRLITZII
PHILOS. D. ET SCHOLAE DAT. COLLEGAE III.
COMMENTATIO
DE
LATINE LOQUENDI USU
E
SCHOLIS HAUDQUAQUAM
TOLLENDO.



CAROLI AUGUSTI SCHEFFNERII
PRINCIPIS & ELECTORIS SACRO-PALESTINENSIS
COMITIS PALATINI
DE
LATINE LOQUENDI USU
SINGULIS MAGISTRORUM
TABULA



Quamquam quae recentiore tempore de institutionis
et disciplinae consilio ac ratione agitatae sunt contro-
versae, ita compositae esse videantur, ut illorum, qui
iuventutem ad humanitatem informandam esse cen-
seant, sententiam vicisse existimaveris: tamen etiam
alteram, quam profligatam et exstinctam habeas, opi-
nionem hic illic caput attollere, quis est, quem fugiat?
Quod enim multos adhuc eo eniti videmus, ut scho-
larum disciplinae traditi non tam altiore et liberaliore
ingenii animique cultu proficiant, quam multarum re-
rum cognitione imbuantur et iam per scholae tempus
ad futura officii aut omnino vitae munera instruantur,
id luculenter patet ex opinione proficisci, quam qui
habebant, amore nescio quo humani generis incensi
sibi videbantur. Quippe inter omnes constat, quae
modo significata est, educandi et instituendi rationem
id ipsum secutam esse, ut, cum ad fructum potius,
quem posterior vita e scholastica disciplina perceptura
esset, quam ad mentem simpliciter conformandam,
respiceretur, tum fines disciplinae scholasticae vel ma-

xime proferrentur. Ac fines illi quidem profecto sunt eo usque porrecti, ut fieri non possit, quin etiam ii, qui eiusmodi prolationem optabilem atque adeo necessariam fuisse intelligant, vereantur, ne hoc tanto spatio emetiundo vires ingenii debilitentur magis, quam corroborentur. Quod enim peregrinantibus accidere solet, qui, quicquid est visu memorabile, percurrere gestiunt, ut nihil recte cognoscant et defessi distentique tandem domum reveniant, idem omnes artes et litteras comprehendere seu potius attingere cupientibus obveniet; nisi forte Hippiam ¹⁾ aut Bottifangam ²⁾ captu aequiparant. Quemadmodum vero in nimia illa institutionis scholasticae finium propagatione vestigia Philanthropinismi ³⁾, quem dicunt, apparent, ita alia quoque res docet, dominationem eius nequaquam esse refractam. Philanthropinismus enim, cum, quid in scholasticae doctrinae orbem aut recipiendum sit, aut ab eo excludendum, ex utilitate potissimum pendere iubeat, quae ad futura vitae munera inde redundet, tum antiquarum linguarum studium, utpote ad posterioris vitae usum inutile, si non abolendum, tamen coercendum esse statuit et imminuendum. In vulgus notum est, quam humiliter quamque perverse sectatores

1) Cf. Philostr. vit. soph. I, 11. Appul. Flor. Tom. II. p. 11. ed. Altenb. Cic. de orat. III, 32.

2) Morhofii Polyhist. I, 1, 6.

3) Uberius de eo disputarunt Fr. Imm. Niethammer: Der Streit des Philanthropinismus und Humanismus in der Theorie des Erziehungs-Unterrichts unserer Zeit. Jena 1808. (cf. imprimis p. 76—84.) et Niemeyer S. V. in: Grundsätze der Erziehung und des Unterrichts. Th. III. S. 364 seqq.

ifius doctrinae tum de eo fenserint, quod antiquarum
 litterarum studio propositum esse debeat, tum de in-
 fituendi huius via et ratione, ita ut famae suae pro-
 fecto melius consulissent, si antiquitatis studium e-
 ludis suis prorsus exterminassent. Quo magis autem
 omni tempore sapientissimus quisque pro certo et ex-
 plorato habuerat, in antiquissimis litteris firmissimum
 esse praesidium ad ignorantiae et superstitionis tene-
 bras arcendas, eo vehementius omnes sani et sobrii
 homines conatibus irritarentur necesse fuit, qui ad
 barbariem superiorum temporum revocandam ac con-
 firmandam parari viderentur. Quam barbariem neque
 rediisse, et antiquarum litterarum studium nunc cum
 maxime florere, id nemo, nisi rerum imprudens aut
 laudibus aetatis suae obtrectans negaverit. Quantum
 est, quod triginta abhinc annis praestantissimi viri ad
 omnes fere doctrinae, ex antiquitate nominatae, par-
 tes consummandas fecerunt! Sive utriusque linguae
 grammaticam, sive geminam illam artem, quae in
 veterum scriptorum libris excutiendis et enarrandis
 versatur, sive denique antiquas fabulas et historias re-
 spicimus, fatendum nobis est, studium eruditae anti-
 quitatis eo perductum esse, ut multa, quae antehac
 occulta et quasi involuta erant, nunc sint illustria ma-
 gis, magisque in aperto. Ut igitur verum est, huma-
 nitatis studia nostro tempore impense coli et singulas
 antiquarum litterarum partes tam diligenter tractatas
 et retractatas esse, ut prorsus novam speciem induisse
 videantur, ita etiam hoc in promptu et propatulo est,
 vix umquam potuisse maius esse studium, non solum,
 quae doctorum virorum opera in doctrinae antiquitatis

campo vel nova inventa sunt, vel vetusta emendata, in iuventutis scholasticae usum omnino convertendi, sed praecipue etiam totius institutionis scholasticae modum ita describendi, ut puerilibus ingeniis discendi labor facilior ac iucundior reddatur. Iam vero quamquam haec ita esse, nemo facile negaverit, concedendum tamen est, Humanismi, quem vocant, imperium nequaquam tam late patere, ut alterius rationis vestigia nusquam appareant. Immo enim vero haec cum in aliis apparent, tum in eo potissimum mihi agnosci posse videntur, quod, quantumvis antiquarum litterarum studium nunc vigeat, latine tamen scribendi et loquendi facultas in dies magis imminui coepit. Quod enim multi utramque illam exercitationem nonnisi fructu metiuntur, qui futuris inde oriatur oratoribus sacris, medicis, iure consultis, ceteris, et tamquam parum quaestuosam dimittendam esse censent, argumento est, cum nomine principia et rationem Philanthropinismi nequaquam evanuisse. Inde vero simul etiam intelligitur, quid sit, quod, quamvis utraque exercitatio neglecta iaceat, scribendi tamen facultati plus tribuatur, quam loquendi, et illa magis etiam colatur, quam haec. Etenim cum scribendi usus non scholasticis finibus contineri, sed in reliquam etiam vitam et certa ipsius munera pertinere existimetur, non mirum est, eundem adhuc reservatum esse. Etiam si igitur non Wolfii¹⁾ et Creu-

1) Cf. Fr. Aug. Wolf Museum der Alterthumswissenschaft 1. B. p. 42. „Nur die Fertigkeit, nach der Weise der Alten zu schreiben, nur eignes productives Talent, befähigt uns, fremde Productionen

zere¹⁾) exercitationi scribendi iustum suum locum vindicassent, et quanta sit eius vis non ad victum quidem parandum et certa negotia vitae exsequenda, sed tum ad ingenii vires colendas, tum ad linguam melius percipiendam, evicissent: Philanthropinismi tamen sectatores, externis scilicet causis adducti, retinendam eam esse putarent. Cogitanti autem mihi, vel eos, qui tantum abest, ut Philanthropinismi rationem defendant, ut impugnent et reproberent, non minus de scribendi, quam loquendi latine usu parum honorifice iudicare, quod nuper factum est a Loebellio²⁾ in libro, ceterum bonae frugis plenissimo, haud absonum esse videbatur, nunc potiores saltem exponere causas, cur latine loquendi usus neque tollendus sit e ludis litterarum, et introducendus, ubi nondum regnaverit. Cuius utilitate et necessitate probata, quis est, qui de scriptione in scholis retinenda addubitet, cum, ut ait Cicero, nulla res tantum ad dicendum proficiat, quantum scriptio³⁾. Et primum quidem usus latine loquendi propterea non abrogandus, immo omnibus modis servandus ac fovendus mihi videtur, quod mirum quantum profit ad exercendum et conformandum ingenium.

gleicher Art ganz zu verstehn und darin mehr, als gewisse untergeordnete Tugenden aufzufassen; und in sofern wird die Fertigkeit, in den alten Sprachen, wenigstens in der lateinischen, zu schreiben, hier mehr als subsidiarisch.“

1) Cf. Fr. Creuzer Akademisches Studium des Alterthums p. 44 seq.

2) Die Gymnasialbildung in ihrem Verhältnisse zur gegenwärtigen Zeit, von J. W. Löbell. Breslau. 1821. p. 132 seq.

3) Cic. Brut. c. 24. coll. de Or. I, 33.



Etenim cum verum fit, praeter mathesin nihil fero juvenili menti colendae tanto adiumento esse, quanto antiquarum linguarum studium, quippe quod animum in cogitando et iudicando ita exerceat, ut vere curriculum eius dicatur: tum latini sermonis natura est ea, ut discantis mentem recte sentiendo et dicendo affuefaciat. Quod ita esse, nemo mirabitur, qui latini sermonis ingenium vel leviter cognoverit. Quae enim in omni Romanorum vita gravitas et severitas fuit, ea etiam in sermone eorum conspicitur, et quae domi militiaeque cives ac milites disciplina continuit, ei oratio quoque adstricta est. Sive verborum conformationem respicimus, sive compositionem, utriusque tanta est commoditas, ut, quamvis singula orationis membra magna varietate delectent, tota tamen oratio ad certam legem formata procedat. Est sane latini sermonis eadem fere ratio, atque exercitus, cuius motus, licet soluti et liberi videantur, unius tamen voluntati obtemperant. Quemadmodum enim ducis voluntas in exercitu est quasi formula et ratio agendi; ita latini sermonis unica lex summa est recta cogitandi norma, ad quam quidem dirigenda sunt paene omnia; quae grammatici, saepe ex arbitrio magis, quam quod ex cogitandi legibus ita fieri oporteret, de componendis collocandisque verbis praeceperunt. Iam si omnino antiquae linguae propterea potissimum in litterarum scholis tractantur, quod studium earum non minus, quam mathematicarum disciplinarum tractatio animum a sensibus avocet et ad ea, quae mente tantum percipiuntur et intelliguntur, traducit: in latino etiam sermone eo maior opera ponenda erit, quo magis congruentia sunt menti, quae mente

tantum intelligenda proponit. Sunt quidem, qui de utriusque linguae discendae consilio aliter sentiant, et unice fere ad fructum et iucunditatem respiciendum esse existiment, quae ex scriptorum lectione percipiatur; sed quamquam equidem tantum abest, ut lectionem romanorum et graecorum scriptorum usui et delectationi esse negem, ut vel propterea censeam, exemplaria graeca et romana nocturna diurnaue manu versanda esse: tamen in scholastica certe institutione hoc mihi praecipue spectandum esse videtur, ut discendis antiquis linguis ingenium subigatur et perficiatur, id quod de latino quidem sermone vir prudentissimus et doctissimus nuperrime ita dixit, ut nesciam, an omnibus placeat¹⁾. Quodsi igitur latina lingua ita comparata est, ut vel ipsa eius perceptio iuvenilis ingenii cultum eximie adiuvet, ante omnia hoc manet, latine scribendi usum, ex quo apta fit perceptio, in scholis


- 1) Briefe über Bildung und Kunst in Gelehrten-schulen. Von K. Baumgarten - Crufius. Leipzig 1824. p. 73. „Das Erlernen ihrer (Romanorum) Sprache ist mehr werth, als diese selbst mit allen Schätzen, die sie hervorgebracht hat.“ Quae hoc gravius dictum antecedunt, quaeque sequuntur, tam vere et eleganter dicta sunt, ut vix mihi temperem, quin transcribam. Cf. etiam Niethammer l. I. p. 176: — „es ist, wenn man das Wort selbst und seine Form zum Gegenstande des Unterrichts erhebt, so wenig ein leerer Wortkram zu fürchten, daß man vielmehr umgekehrt behaupten darf: der schlechteste Wortunterricht — — rege noch immer mehr Geist auf, als ein nicht ganz guter Sachunterricht. — In der That vertheidigen die den Humanismus über seine Liebe zum Wort und Wortstudium gar ungeschickt, die zu verstehen geben, daß ja das Wortstudium ein nothwendiges Uebel sey, wenn man der Sachen und Genüsse, die das Alterthum anbietet, theilhaftig werden wolle.“

retinendum esse. An vero idem de locutione valeat, porro videbimus. Ad latinam linguam discendam non magis requiri, ut ea loquaris, quam ad ceteras, tum quotidiano usu, tum ipsius rei natura comprobatur. Quam multi enim sunt, qui quamvis graece ac latine doctissimi tamen artis utraque lingua loquendi sint expertes! Loquendi facultas usu comparatur; nisi igitur hunc habeas, neque illam consequeris, eoque minus, quo natura es timidior ad dicendum, quoque tardior cogitando. Timiditas enim animi et tarditas mentis sunt maxima impedimenta sermonis, non ita perceptionis, in qua vel tarde capiens, dummodo studium et industriam adhibeat, bene procedere potest. At quamquam latine loquendi exercitatio non ita necessaria sit, ut sine ea nemo ad perfectam ipsius linguae cognitionem pervenire posse existimandus sit: tamen inde, quod non aequae necessaria sit, atque scribendi usus, non sequitur, eandem nec opus esse. Opus autem mihi propterea videtur, quod, ut ex iis, quae hactenus sunt disputata, intelligi licet, ad celeriter et recte quidem cogitandum quam plurimum prodest. Omnis enim locutio est cogitatio; nisi quis forte non cogitata depromit. Qui igitur cogitando tardus est, ei in loquendi exercitatione praesentissimum tarditatis remedium erit; loquendi enim necessitate adigitur, ut non modo, quae loquatur, sed etiam, quomodo sensa mentis dicendo explicet, celeriter inveniat et apud animum proponat. Ita fiet, ut sensim sensimque ad dicendum expeditior evadat. Quantum autem omnino facultati, etiam ex tempore differendi, tribuendum sit, id non est, quod pluribus demonstretur;

quamquam hoc profiteri audeo; non ab omnibus tantum operae in eximia illa arte colenda consumi, quantum exspectes. „Quotus enim quisque disertus est?“ etiam nunc cum Cicerone ¹⁾ dicere licet. In scribendo plurimi acquiescunt, neque ad dicendum progrediuntur, tamquam non idem valeat ad ingenium exercendum locutio, atque scriptio, neque illa ad vitam etiam utilior sit, quam haec, cum omnibus quidem loquendi, paucioribus scribendi necessitatem vita imponat. Quod vero loquendi consuetudinem ad celeritatem cogitationis multum prodesse dixi, id sentio non satis esse ad latine loquendi usum commendandum. Quid enim? nonne idem commodum ex patrii sermonis usu ad germanicam iuventutem perveniat? Esto! Num vero etiam ei, qui patrio sermone utitur, animus tantopere intendendus est, quantopere latine loquenti? Id nemo facile defendat, qui reputaverit, patrii sermonis usum per se faciliorem esse, quam peregrini, quique latinae et germanicae linguae ingenium cognoverit. Ac nativi quidem sermonis usum faciliorem esse, quam externi et proinde iuvenili ingenio exercendo minus idoneum, iam Quintilianus ²⁾ tam bene intellexerat, ut romanos pueros a graeco sermone incipere mallet, quam a vernaculo, quia hic vel nolentibus iis se praeberet. Ex qua quidem romani rhetoris sententia quamquam male conficitur, ut nos quoque a graeco sermone disciplinam scholasticam exor-

1) Cic. Orat. pro Cn. Planc. c. 25.

2) Quintil. Inst. Orat. I, 1, 12.



diri debeamus: tamen hoc intelligitur, qua ratione patrii sermonis usus facilior, quam peregrini dici possit. De loquendi enim exercitatione Quinctilianum imprimis cogitasse, ex iis, quae porro disputat, intelligi licet. Sed praeterquam quod patriae linguae usus per se facilior ideoque parum ad exercendam mentem accommodatus est, germanicae linguae, si cum latina comparaveris, ingenium nequaquam eiusmodi est, ut quanta in dicendo latine, tanta in loquendo germanice opus sit animi attentione et circumspectione. Cuius causa cum ex omni utriusque sermonis interna natura, tum inde repetenda est, quod nostra lingua, quippe quae nondum ex communi vitae consuetudine abierit, neque arte conclusa est, sed libere adhuc movetur, mutationibus usque obnoxia. Alia ratio est latini sermonis. Hic ut natura severae acrisque mentis imperio quasi obtemperat et ad populi, qui orbi terrarum imperitabat, naturam est accommodatus, ita etiam arte adhibita tam accurate circumscriptus est, ut, qui latine scripturus aut locuturus sit, idem ad cogitationem accingatur, necesse sit. Est enim certus dicendi et scribendi ordo; sunt certae leges, quae si minus sibi constare videantur, non ei est attribuenda causa, quod sermonis natura ambigua ideoque imperfecta sit, sed conditoribus legum. Multa, quae in nostra lingua nondum ad certam rationem et formulam revocata sunt, ita ut aliis aliter dicendo aut scribendo exprimere libeat, in sermone Romanorum tam firmis legibus sancita sunt atque provisa, ut, si quis ex arbitrio magis, quam ex communi praescripto latine loqui et scribere velit, in omnium reprehensionem

siones incurrat. Neque enim hic aut dubitatio, aut
 arbitratus dominatur, sed ratio et lex. Sua cuique
 vocabulo est forma et potestas; suus cuique sententiae
 ordo et locus. Omnis sermo est omnibus suis nu-
 meris et partibus expletus; neque adimere quicquam
 tibi licet, neque addere. Iam si propter has ipsas cau-
 sas vel in scriptione diligentissime cavendum est, ne
 a Romanorum cogitandi regula aberremus: quanto
 plus in oratione, quae ex tempore fit, nobis provi-
 dendum erit, ut ne quid barbare dicamus. Quo igitur
 rector et severior est cogitandi norma, quoque ad-
 strictior lex grammatica, eo magis latine loquenti mens
 intendenda animusque colligendus erit, ut ex mente
 Romanorum, hoc est recte et concinne et dilucide lo-
 quatur. Ita satis mihi apparere videtur, qua ratione
 latine loquendi exercitatio ad mentem excolendam
 conducat; quid enim mentem in celeriter et
 recte quidem cogitando exercere est aliud,
 quam eandem excolere? Quodsi vero hic illius
 exercitationis est fructus, quis eam non omnibus mo-
 dis fovendam esse censeat, praesertim cum in confessis
 sit, maxima mala ex perversa et falsa de rebus hu-
 manis ac divinis cogitandi ratione oriri? Etenim
 quam mentis pravitas humano generi minatur pestem,
 ea haud scio an detestabilior sit, quam illa, quae ab
 animi pravitate hominibus nascitur. Cui enim, ut
 hoc uno argumento utar, ex malignitate potius, quam
 sanae mentis et recti iudicii inopia errores et supersti-
 tiones, quibus profecto nulla est capitalior pestis, repe-
 tendae videantur? Quae cum ita sint, omnibus modis
 eo nitendum est, ut iam pueri rectam cogitandi viam

ingrediantur et rerum, quoad fieri potest, planam atque perspicuam notitiam habere malint, quam earum fallaci et incerto sensu moveri. Iubeantur igitur Romanorum more cogitare, id est latine scribere et loqui. Ita fiet, ut puerilis mens, levis illa quidem et mobilis, non modo constantiae et severitati assuescat, sed etiam aversetur, quicquid a confusa et perplexa cogitatione profectum sit. Sed haec hactenus.

Porro latine loquendi usus propterea mihi videtur et tuendus et commendandus esse, quod eo ipsius linguae latinae studium atque cognitio quam maxime adiuvatur.

Cui persuasum est, latini sermonis studium ad mentem conformandam plurimum valere, is non poterit non omnia probare, quibus sermonis, cuius tanta vis, tantumque momentum est, et studium incitetur, et perficiatur cognitio. Quod utrumque loquendo imprimis efficitur. Qua ratione efficiatur, id eo magis mihi nunc declarandum est, quo facilius fieri potest, ut consuetudinis, a qua totus abhorreo, patronus existisse videar. Fuerunt quidem, qui quam maturime latine loquendum et adeo omnem latini sermonis institutionem a loquendo incipiendam esse statuerent, existimantes, hanc viam brevissimam et tutissimam esse, qua pueruli latinae linguae cognitionem assequerentur. Quae opinio quam vana sit, experimentis satis cognitum est. Praematura latine loquendi, ne dicam, garriendi consuetudine hoc tantum efficitur, ut pueri opinione imbuantur, se perceptum et cognitum habere, quod omnino non habent. Ita vero eorum studium discendi
non

non modo non augebitur, sed etiam imminuetur. Cum enim sibi videantur sermonis adeo gnari esse, ut eo loquantur, specie cognitionis decepti ante tempus abiciant, in quo nemo, cuius interest, sermonem penitus ac diligenter cognoscere, se nimium diu elaborasse existimat: grammatices dico studium. Quo maiore autem hoc ipsum ad ingenii cultum momento est, eo magis in puerorum institutione a loquendi usu vel potius abusu, siquidem plus obest perceptioni sermonis, quam prodest, abstinendum esse duco. Accedit, quod cum pueris, vix, aut ne vix quidem elementis litterarum perfusis, de iis potissimum rebus fermocinandum erit, quae latinis verbis non bene possunt notari. Quam ob rem non praematura illa quidem latine loquendi exercitatione studium et cognitio latinae linguae adiuvabitur, sed ea tantum, quae grammaticorum praeceptorum cognitione et scriptorum, ad intelligendum faciliorem, lectione parata est. Qui enim ita exculti sunt, ut grammaticas regulas teneant, et cum latinis scriptoribus, quamvis paucis et intellectu facilibus, familiaritatem contraxerint, eos recte, credo, sumentum est, hoc ipso, quod in loquendo exercentur, neque in nimiam virtutis et ingenii opinionem adduci, et ad latinas litteras studiosius discendas excitari. Ac primum quidem non modo plenior et accuratior grammaticae cognitionem sibi comparare studebunt, sed ante omnia eo nitentur, ut, quae didicerint praecepta grammatica, firme contineant. Cum enim loquentibus iis grammaticos libros evolvere et ita memoriae succurrere non liceat, regulas ita insigent, ut etiam inter loquendum

earum sint memores. Magnum profecto ad perdiscendam grammaticam incitamentum mihi videtur esse, si discentes futuram locutionem prospiciunt! Haec enim efficiet, ut discentes in se ipsis potius fiduciam collocent, quam in sexcentis illis, quae scribentibus suppetunt, honestis et inhonestis praefidiis. Nam cui loquendum est, ei neque Broederum, Zumptium, Krebsium, Grotensdium adire et consulere licet, neque praesto sunt nimis officiosi amici, corrigentes et suggerentes. Quod Schillerus in carmine laudatissimo dicit, in acie hominem suo Marte stare, neque alium alius vicem explere, idem de dicente valet, nisi quis forte monitore utitur, ut histriones, aut de scripto dicit, ut bonus Augustus ¹⁾. Quocum discipulo latine colloquaris, ei omnibus momentis, quousque in cognitione et usurpatione grammaticae profecerit, ostendendi occasio datur. Progrediente sermone neque tergiversari, neque subterfugere ei licet; immo hic Rhodus est, hic ei saltandum. Iam quo magis veretur, in dicendo grammaticas leges violare et nudum ostendere latus, eo diligentius sibi in tempore cavebit eoque maiore studio addiscet, quorum adhuc rudis et imperitus fuerat. Ut igitur locutio grammaticae studium adiuvat, ita etiam ad scriptores diligentius legendos quam plurimum conferre mihi videtur. Si quis forte dicat, idem de scriptione valere, quae et ipsa scribentes ad praestantissimorum scribendi artificum libros summa cum diligentia tractandos etiam atque etiam exhortetur, re-

1) Sueton. Octav. Aug. c. 81.

ponam, id in superiora potius tempora cadere, quam in nostram aetatem. Etenim cum ii, qui se litterarum studio tradebant, nondum omnibus ad latine scribendum praesidiis essent parati, assidua et diligenti lectione inopiae adminiculorum mederentur necesse fuit. Hinc multiplex illa et paene immensa lectio, qua plurimi superiorum temporum docti homines excelluerunt. Quod Crassus apud Ciceronem ¹⁾ dicit, oratori legendos esse poetas, cognoscendam historiam, omnium bonarum artium scriptores ac doctores et legendos et pervolutandos, id maiores nostri sibi dictum putabant. Plerisque enim, quibus nunc gaudet studiosa litterarum iuventus, discendae latinae linguae adiuventis desituti a pueris ita scriptores classici lectitabant, ut ex his ipsis sermonem cognoscerent et non modo opus haberent, quibus nostra aetas redundat, praesidia, sed ne desiderarent quidem. Cum igitur concedam, scribendi exercitationem antehac multum ad scriptores diligenter et assidue legendos contulisse, tamen id nunc quoque fieri, animum non possum inducere. Quotus enim quisque etiam nunc in legendis scriptoribus hanc sequitur rationem, ut hinc inde dicendi formulas, constructiones verborum, transitiones, similitudines et id genus alia congerat, porro singulos locos imitetur, variet, ediscat, denique de multis scriptoribus unum saltem eligat, in cuius sentiendi et dicendi rationem se totum insinuet? Quo quidem labore quis non superfederi posse existimet, cum tanta sit copia librorum in usum latine scri-

1) Cic. de Orat. I, 39.

bentium confectorum? Verum quos scribentibus adire licet grammaticos et lexicographos, non item loquentibus datur in consilium adhibere. Qui enim loquitur, totus ex sese aptus est. Quam ipsam ob causam in loquendi exercitatione magnum ad scriptores diligenter et assidue legendos incitamentum inesse mihi videtur. Quod enim scribenti ex Thesauris, Cornibus Copiae, Promptuariis, Indicibus, ceteris proferre licet, id loquenti ex sua ipsius lectione scriptorum petendum est. Iam vero quo latius haec patet, quoque attentior in legendo animus non ad res modo fuit, sed praecipue ad linguam ¹⁾, eo largius suppetet tum

- 1) Vel inde intelligitur, quam parum vero litterarum studiosae iuventutis usui prospiciat interpretum genus, quod immortales Duumviri Ruhnkenius in Epist. ad Rinkium et Wolfius in Prooemio Edit. Orationis Marcellianae notarunt. Verba magni Ruhnkenii haec sunt: „Non dubito, quin brevi alius ex ventosa ista Aestheticorum natione exorturus sit, qui reliquam partem Horatii hoc novo more perficiat, id est, nulla aut mediocri utriusque linguae scientia, nulla exquisitior eruditionis copia, nullo denique critices usu, super locis, quos non intelligit, philosophetur, et circulatoria vanitate iactet, se demum totum et singularum partium ad totum rationem, quae scilicet Casaubonos, Gronovios, Bentleios fefellerat, planissime demonstraturum. Tales veterum scriptorum interpretes cum nunc in Germania vigeant, non mirum est, editiones a Batavis et Britannis curatas paucos, ut scribis, emptores apud vos reperire.“ Conferatur etiam Fr. Creuzeri Epistola, Selectis, quae Kayserus edidit, Mureti Scriptis praefixa p. IX—X. Inter alia Vir Illustr. haec habet: — „quid aliud est oleum operamque perdere, quam istis (sermo est de Ludorum magistris, qui et ipsi ex ventosa, quam Ruhnkenius nuncupat, Aestheticorum natione sunt et veteres scriptores interpretandi rationem, a Criticorum principe, ut modo vidimus, vituperatam vel coram puerulis, latinitate initiandis, sequuntur) edisserere disciplinae scholasticae rationem velle,

materia tum forma dicendi. Quodsi res ita se habet, etiam discipulos, quibus, ut latine loquantur, iniungitur, recte statuere possumus, si non scribendi, tamen dicendi necessitate ad diligentem et assiduam lectionem impelli. Ab hac ipsa autem omnem proficisci subtilem et plenam sermonis cognitionem, in confessis est. Nec vero propterea solum loquendi usus, quod efficit, ut discipuli tum in grammaticam, tum in scriptorum lectionem studiosius incumbant, cognitioni sermonis prodesse statuendus est: nonne et ipsa locutione illud perficitur, ut loquens sermonem melius cognoscat? Cum, Xenophonte¹⁾ auctore, quicquid est pulchrum et honestum, exercitatione comparatur, tum cognitionem sermonis non nisi eo, quod hunc exeres, consequeris. Atqui locutio est usus sermonis, ergo adiuvat eiusdem cognitionem. At dixerit fortasse quispiam, scriptionem, quae et ipsa sit usus sermonis, cognitioni eius sufficere. Si licitum esset, ad veritatem sententiae comprobendam, libri, cuius vel titulus, ficta et commenticia inesse, declarat, auctoritate uti: omnino scriptionem sermonis usum esse negarem. Nonne enim Goethio, summo aetatis suae scribendi artifice in libro, quem Vera et Ficta inscripsit, placuit, scriptionem sermonis esse abusum et tacite secum legere nequaquam tantum, quan-

qui, quicquid e critico genere aut grammatico est, fastidiant et averfantur, res spectari debere, clamitantes, non verba; haec umbrae esse et paucorum: rerum cognitionem proferri in lucem posse, inque plurimorum usum converti.“

1) Xen. Mem. I, 2, 22.

tum vivam orationem, valere? Verum ne respon-
sionem alio derivasse videar, nunc nonnisi id reponere
mihi liceat, eum, qui in scribendo se tantum exer-
ceat, certe non illud dicendi genus plane cogniturum
esse, quo Romanos in sermonibus conferendis usos
fuisse deprehendimus. Etiam si enim discipuli Latinos
sermone litteris mandare iubeantur, quamquam, quod
equidem scio, magis in scribendo de rebus historicis,
philosophicis, aliis exercentur: tamen sermonum ha-
bendorum tam varia et multiplex ratio est, ut, cum
angustis scripturae finibus contineri non possit, tum
neque scribendo perfecta ipsius cognitio pariatur. Qui
igitur Romanorum modum colloquendi pernoscere cu-
piat, ipse colloquatur necesse est. Ita enim fiet, ut
ad omnia, quaecunque inter litterarum amantes in
sermone esse solent, ad omnesque interrogandi et re-
spondendi formas delabatur. Quo magis autem ex
ipso sermone intelligitur, quali natura et ingenio sit
lingua, utrum copiosa et flexibilis sit, hoc est senten-
tiis varie exprimendis, conformandis et distinguendis
idonea, an inops et tamquam inhabilis: eo accuratius
linguam callere existimandus erit, qui in sermone habitat.
Iam cum, ut supra dictum est, loquendi usus ad omnes
omnino scriptores diligenter legendos discipulos exhor-
tetur, tum maxime ad eorum, qui sermonis auctores
sunt, scriptorum accuratum studium impellet. Quam-
quam enim ad Latine loquendum nequaquam requiri-
tur, ut discipulus, quas Erasmus quidem recte fecit,
ut suae aetatis adolescentibus proponeret, salutandi,
bene precandi et percontandi formulas memoria teneat
(istud enim requirere, profecto nihil aliud esset, nisi,

quem latini sermonis usus ante hos trecentos annos habuit ambitum, restituere velle): tamen etiam tum, cum de artium studiis atque doctrina nonnisi latine loquendum esse statuimus, Terentii certe et Plauti lectionem ad sermonem cognoscendum utilissimam esse concedere debemus ¹⁾. Denique latinae linguae cognitionem ipsa locutio etiam alia ratione adiuvaré mihi videtur. Quemadmodum enim eo, quod ipsi loquimur, ita etiam aliorum sermone, si quidem hic rectus et elegans est, efficitur, ut ad maiorem linguae cognitionem perveniamus. Mirum quantum prodest auditio ad orationem perficiendam. Subactio, inquit Cicero ²⁾, est usus, auditio, lectio, litterae. Neque minus constat, quantum auditioni tribuerit Quintilianus ³⁾, qui adeo nutrices, si non sapientes, vult esse, quod Chrysippus optavit, tamen recte loqui, ne filiulus, ne dum infans quidem sit, vitioso sermone adsuescat. Quidni igitur latine loquendi usus in scholis retinendus sit, cum vel auditio latini sermonis sit utilissima: dummodo ii, quorum est latine dicere, non tantum in scriptorum interpretatione ⁴⁾, sed in disputando etiam de quibusvis aliis

